

05

A

1398



H

D



DISPUTATIO PHYSICA,
De
QVÆSTIONE
An
ESAU FUERIT
MONSTRUM,

Quam
In Illustri Saxonum Universitate
SUB UMBONE
VIRI

Præ-Clarissimi, Præ-Eximii atq; Doctissimi,
DN. M. NICOLAI BENEDICTI
PASCHÆ,

Zittâ-Lusat:
RESPONSURUS AUTOR
MARTINUS POHLIUS,
Budissâ-Lusat:
*Publico recte Philosophantium Examine
sistit*

In Auditorio Veteri,
Ad diem Octobr.
Horis anremerid.

WITTEBERGÆ,
Litteris MICHAELIS MEYERI, Anno 1669.



05 A. 1392

LEHRMICHÄELIS MEYER, Anno 1688



§. 1.

Quantacunq; theatri mundani pulchritudo sit, elegantissimas undiqvaq; rerum species oculis nostris exhibens: Ea tamen, quam laudavimus modò pulchritudinem, tanta non est, quin enormibus ac horrendis per sepe effectibus (monstra latini nuncupant) deformetur obscureturq;

§. 2. Atq; utinam isti naturæ defectus saltem intra genus corporum non rationalium occurrerent! Sed tantùm abest, ut frequentiora vix dentur monstra, quam intra humanam speciem, quæ reliquarum specierum mensura, in qua Summus rerum Conditor, omnem quasi perfectionem, quæ in corporibus latet, in compendium redegisit, dicitur.

§. 3. Tanta autem monstrorum partuum varietas est, ut singularum rationes habitudinesq; pensitare velle sit aquam cribro haurire. Modò enim prorsus humanam mutant speciem, modò speciem servantia, aliqua quadam enormitate & deformitate ab iis discrepant; quod contingit vel circa sexum, quo spectant hermaphroditi: vel circa constitutionem aliarum partium, tum ratione numeri, quo pertinent partim illi qui capite, brachiis, pedibus vel aliis partibus destituuntur; partim isti, qui capitibus uno pluribus, quatuor pedibus, manibus &c: in lucem prodeunt: tum ratione magnitudinis quo Gigantes in excessu & pygmæos in defectu peccantes referunt: tum ratione unitatis, quo spectant monstra, quorum partes

vel continuitatem vel contiguitatem debitam amiserunt: tum ratione conformationis, cujus generis sunt, quæ peccant modò in figurâ qualia sunt monstra faciem caninam aut vulpinam referentia; modò in situ, sic nascuntur quorum oculi in fronte, nares in lateribus, aures in occipite; modò aliter &c.

§. 4. Hujus tantæ varietatis causam multi explorare sunt conati, sed sæpe frustrâ. Generales quidem facilè designare potuerunt, utpote lapsum primorum parentum, peccatorumq; frequentiam, quo spectant etiam naturales causæ, quarum aliæ extrinsecæ, ut natura regionis, aërisq; constitutio: aliæ intrinsecæ, ut virtus formatrix deficiens, materia seminalis malè constituta receptaculum foetus vitiosum, membrana foetum involventia distingvensq; &c: Sed quæ speciales causas non minor inter Autores est opinionum varietas quàm monstrorum, earumq; nonnullæ ipsis monstris haud parum monstrosiores. Sed de his consuli potuerunt Bartholom: Keccermannus in Syst. Phys. l. 4. c. 3. p. 316. Clem. Timplerus Empsych. lib. 3. de Homine c. 1. quæst. 38. p. 443. & in primis B. Sperlingius in Inst. Phys. l. 1. c. 9. quæst. 13. p. 75. Fr. Toletus Com. in 8. lib. Arist. de Physica auscultatione lib. 2. c. 9. quæst. 13. p. 75. Conimbricens. Comment. in l. c. Arist. l. 2. c. 9. quæst. 5. p. 430. Gaspar Schottus in Phys. curiosa l. 5. c. 27 - 30. pag. 717 - 741. quo spectant illi, quos magno numero citat modò laudatus Schottus l. c. p. 655. 656. nempe Ulysses Adrovandus, Joh. Georg. Schenckius, Fortunius Licetus, Conradus Lycosthenes, Arnoldus Sorbinus, Martinus Weirreichius, Laurentius Stengelius, Schvveikerus, Cornelius Gemma, Laurentius Bayerlinck &c: Hi inquam consuli poterunt, nostri enim instituti jam non est hæc prolixius persequi,

§. 5.

§. 5. Inter varia autem illa monstra recensebamus etiam homines enormiter pilosos, cum verò ex Scriptura Sacra constet sanctissimi cujusdam Patriarchæ filium simili ratione habituq; præditum fuisse nomine ESAUUM: Hinc non immerito dubitatur an dictus modò Esavus veri nominis monstrum appellari possit; eaq; nos movit causa, quod hanc quæstionem nunc sumserimus decidendam, quod ut felicius fiat, ante omnia utrumq; terminorum, Subjectum & Prædicatum, quæstionis propositæ enodabimus.

§. 6. Primum aggrediamur Subjectum, quod est ESAU, hoc nomen est proprium filii primogeniti Isaaci quem ex Rebecca filiâ Bethuelis Syri ac sororis Labani, postquam diu sterilis fuisset, ardentibus precibus exortum genuerat. Hunc Scriptura Sacra Gen: xxv. 25. ait: PRODIISSE RUFUM TERTIUM SIMILEM TOGÆ VILLOSÆ.

§. 7. Prædicatum quæstionis est monstrum, ejus observanda tum descriptio nominalis tum realis. Quæ Descriptionem nominalem, occurrit 1. Etymologia; ubi observandum, quod alii derivent à monstrando, tum quod monstret seu significet, quæ futura sunt; testatur enim experientia quod prodigiosi ac monstrosi ejusmodi partus, pestem, bella, & similes calamitates præfigerint: Sic tempore Alexandri M. monstrum ex muliere natum quod superiores partes hominis sed mortuas, inferiores diversarum bestiarum sed viventes habebat; quod procul dubio repentinum Regis interitum & omnia in prius ruitura significavit: tum quod monstretur, solent enim ejusmodi monstra insigniora lucri vel novitatis causa monstrare & publicè ostendi. Sic anno 1516. in Germania visus justæ ætatis vir, cui aliud caput ex umbilico exereret, quod pro more alterius quoq; cibum caperet; Cujus monstri

Pareus meminit, & addit: fuisse optimè membris constitutum ac peregrinando magnam à curiosis stipem collegisse. Alii monstrum non à monstrando, sed monstrare à monstro derivandum esse censent; monstrum v. à monitum deducunt quemadmodum à rado, rasum, rastrum; à rodo, rosum, rostrum; à claudo, clausum, claustrum &c: descendunt.

§. 8. 2. Observanda venit Homonymia hujus vocis secundum quam vox monstri accipitur (1) pro raro & insolito quovis; Sic monstrum dicitur cura Paralytici ob νοσήματος ἐκμήν à medicis deserti, qui, cum flamma ades superaret, periculi motus praesentia sese dedit praecipitem & convaluit. (2) pro errato artificis; sic dicimus pictorem monstrum pingere, quando deformem picturam sistit. (3) pro perfectione insigni; hoc sensu Cardanus, Viros magnos & sapientia imbutos, Sapientiae monstra dixit (4) pro callido consilio, sic Terentius dicit: Aliquid monstri alunt. (5) deniq; pro corpore minus rectè disposito sumitur, atq; tunc quidem vel latè, pro omni corpore enormi affectu praedito, seu is affectus sit à natura seu casu acciderit; hoc sensu etiam illi, quibus manus decurtatae aut mutilatae vel ob flagitium commissum vel belli tempore aut alio casu monstrosi dicuntur; vel strictè pro eo corpore, quod ἐν τῇ ἀρχῇ cum enormitate ac deformitate in lucem editum, quæ acceptio hujus loci,

§. 9. Dicuntur aliàs monstra Græcis τέρατα σημεῖα, παρεκβάσεις, τηράματα, βάσματα, νοσερὰ πέχωρα, ἀλλόμορφα &c: Latinis: Foetus monstrosi, monstrosa germina, mirifica corpora, ostenta, portenta, prodigia &c: Germanis: Misgeburthen/ it. Wundergeburthen/ it. Seltsame Geburthen &c:

§. 10. Hæc de descriptione nominali, sequitur realis, quæ variè à variis traditur. Aristot. lib. 2. Phys. c. 8. definit

finit monstrum, quod sit ἀμαρτυρία τῆς φύσεως Erratum naturæ sc. agentis ob aliquem finem, lib. 4. de generatione animalium c. 4. describit, quod sit oblatio quædam rei præter ejus naturam in iis, quæ ut plurimum agunt eodem modo. Quæ definitiones, ut ut tolerari, si commoda accedat interpretatio, possint: absolutè tamen & sibi relicta, latiores videntur definito, nec obscuritate carent. Conimbricens. in Comm. ad l. c. ex Aristotele quæst. 5. a. l. p. 430. definiunt monstrum per effectum naturalem à rectâ & solitâ Dispositione secundum speciem degenerantem. De qua descriptione quid habendum sit, docet B. Sperlingius in Instit. l. c. quæst. 17. p. 246. Nobis arridet definitio, quam sæpè laudatus Sperlingius l. c. hisce proponit verbis: Est effectus naturalis cum insigni deformitate à causa deficiente & aberrante productus.

§. 11. In hac descriptione. Genus desumit à materiali quod est effectus naturalis, datur enim in monstris quoddam naturæ corpus licet depravatum & perfectione naturali orbatum. Habetur naturæ actio, licet vitiata. Format virtus, licet pravè formet, adest materia, licet vitiata quemadmodum loquitur B. Sperlingius. Differentiâ desumpta est, partim à forma (ut sic loquar) quæ consistit, in deformitate insigni, quæ defectus nomine venit, cum generaliter accepto vocabulo omnis egressio à mediocritate ad extremum defectus sit, sive ad summum fiat sive ad imum. Dicitur a. insignis deformitas, ut excludantur minus notabiles defectus, utpote verrucæ, tubercula in digitis & similia, partim à causa efficiente, aut potius deficiente, quæ est natura; unde patet lapsus artificum eo non spectare, nec deformitates, casu quæ contingunt.

§. 12. Hæc de terminorum explicatione, nunc ad rem accessum facimus & hanc ponimus conclusionem:

ESAYUS

*Esavus verè & propriè dictum fuit monstrum. Hanc asser-
tionem probamus. ex definitionis applicatione, hoc
modo:*

*Cui competit definitio monstri propriè sic dicti; illud pro-
priè dictum est monstrum.*

*Atqui Esavo competit Definitio monstri propriè sic dicta E.
Esavus fuit propriè dictum monstrum.*

Major nititur in Canone Logico: Cui convenit de-
finitio, eidem etiam convenit res definitione notata. Mi-
nor probatur (1) quoad Genus monstri, quod supra fecimus
effectum naturalem, Effectum autem Esavum fuisse pa-
tet, quia esse suum habuit ab Isaaco & Rebecca forsitan ca-
prarum gregibus, tempore conceptus vel gestati uteri,
curiosius intentæ, per influxum causalem efficienti causæ
propriam h. e. per veram ac realem actionem. Naturalem
etiam fuisse effectum constat, quia fuit genitus generati-
one Physica, quæ est actio naturalis, ut ex Physica scientia
liquidum est.

§. 13. (2) quoad differentiam, minorem demonstramus.
(a) ratione formæ qualitercunq; sic dictæ; quam supra
diximus in enormi deformitate consistere. Fuisse a. Esa-
vum enormi deformitate præditum, liquet (1) ex eo, quod
totus rufus fuit (2) quod pilosus instar panni pilosi ex ute-
ro prodierit. Ex his enascitur tale argumentum:

*Quicumq; natus est 1. rufus, 2. pilosus instar toga vilose, is
enormi præditus fuit deformitate.*

*Atqui Esavus natus est 1. rufus, 2. pilosus instar toga vil-
lose. E.*

Esavus præditus fuit enormi deformitate.

Major probatur ex eo, quia homines naturaliter ge-
niti secundum communem naturæ cursum; non rufi, sed
albicanti colore: nec hirsuti, sed glabri prodeunt. Quod
sanè nemo nisi clarissimæ experientiæ contradicere velit-
nega,

negare potest. Minorem probat Scriptura Sacra Gen. XXV. 25. ubi hæc leguntur verba: וַיֵּצֵא חֵדְאִשׁוֹן אֶרְמוֹנֵי וַיִּקְרָאוּ שְׁמוֹ עֵשָׂו כָּלוּ בְּאֶדְרָתִי שֵׁעַר וַיִּקְרָאוּ שְׁמוֹ עֵשָׂו Hæc verba Tremellius sic reddidit: Prodiit autem prior rufus totus similis togæ villosæ, ideò vocarunt (omnes) nomen ejus Hæsavum.

§. 14. Ad hæc reponere quis posset 1. quod ferè omnes infantes recens nati colorem rubicundum obtineant, 2. quod Æthiopum magnus numerus, qui omnes fusco colore, ita Ægyptii aliq; populi si non nigri prorsus, rufi tamen toto propemodum corpore sunt ut peregrinantes testantur, 3. Multi etiam pilosi dantur, dum quæ faciem, dum quæ cætera membra quæ tamen pro monstris non habentur.

§. 15. Sed respondemus ad primum, quod non qualiscunq; rubor hic intelligatur sed enormis ac insolitus, qualis fortè est rufæ vaccæ; quemadmodum patet ex Numerorum XIX. v. 2. ubi etiam vox אֶרְמוֹנֵי adhibetur. Instantia ergò de infantibus recens natis, cum in hoc tertio cum Esavo nostro non conveniant, nihil ad rem facit.

§. 16. Ad secundum dico: non esse absurdum æthiopes (in primis si nimirum nigrescant) inter monstra hari, nec juvat eos multitudo, cum multitudo errantium non pariat errori patrocinium, quid quod Æthiopum populi si conferantur ad reliquos homines sint exigua hominum pars. Qvicquid tandem sit si vel maximè Æthiopes (qui nempè nigri nascuntur) non forent monstra, non tamen exinde Esavus similiter ex monstrorum classe eximendus foret, cum pro æthiopibus militare possit diversa aëris constitutio, ac peculiaris regionis dispositio. Neq; natus est Esau in Æthiopia seu Africa sed in Canaan Asiæ regione. Cadit ergò etiam secunda exceptio.

§. 17. Ad tertium dicimus (1) aliud esse pilosum esse, aliud pilosum nasci, etiam si ergò concedamus non omnes

B

mnes

mnes pilosos esse monstra, cum iusta ætate passim sese pili
 exerant; quid autem hoc ad infantes cum pilis natos / di-
 versorum diversa est ratio. (2) aliud etiam est pilosum esse
 quo ad certas partes, aliud totum seu quoad omnes par-
 tes, aut certe eas quæ alioquin à pilis liberæ, bilosum esse,
 sed de posteriori loquitur major argumenti nostrum non de
 priori; largimur enim libenter, quod nulla sit monstrositas
 in liberis, etiam si cum capillis nascantur. (3) pili hi viden-
 tur prorsus insoliti fuisse non modo ratione qualitatis, id
 quod patet ex voce רעש quæ propriè notare videtur pi-
 los hircinos, uti docet ejus vox conjugata רעיש quæ Levit.
 IV. 24. item Gen. XXXVII, 31. hircum significat: tum ex
 impositione nominis Esavi, hoc enim ipsi impositum esse,
 ob insolitam ac memorabilem figuram, Sacra pagina do-
 cet: tum ex subsequenti Historia Esavi Gen: XXVII, 16,
 22. Rebecca enim volens decipere Isaacum ac eidem Ja-
 cobum pro Esavo subornare, ut is benedictionem, quam
 senex Isaac Esavo à venatione redeunti promiserat, fratri
 præriperet; manus Jacobi nec non glabritiem colli, cir-
 cumdabat pellibus hædorum lactentium, quas palpans
 Pater Isaac circumventus est, Jacobumq; pro Esavo ha-
 buit, ut ut vocis dissimilitudo contrarium svaderet. Ex his
 constat, quod nec tertia exceptio nobis quicquam officiat.

§. 18. Porro minorem prioris principalis Syllogismi
 quoad differentiam demonstramus (β) ratione causæ, ef-
 ficientis, quam fuisse Rebeccam ex dictis constat; hæc cum
 diu sterilis fuisset, multumq; cum pecoribus versaretur,
 mirum non fuit, quod deficere debilis ejus natura imita-
 riq; vis imaginativa caprarum pelles potuerit, ut alias spe-
 ciales causas taceam, unde iterum nascitur Argumentum:

*Quicumq; natus à natura deficiente sc. enormiter is fuit
 monstrum.*

*Atqui Esavus natus à natura deficiente scilicet enormiter. E.
 Esavus fuit monstrum.*

Major patet, quia posita causa in actu ponitur causa-
 tum

tum. Minor clara est exinde, quia foetus hic Rebecca valde dissimilis fuit ab aliis naturali perfectione gaudentibus infantibus, destituebatur enim glabritiei per naturam ad esse debitae, erat praeterea rufus ac in istis regionibus in solito colore deformatus.

§. 19. Ad haec regerere quis posset: Rebecca Esavum gignendo, non tam defecisse, quam abundasse, cum nullum membrum in eo defuerit: Sed saltem pili isti ac rufus color superflui fuerint. Ast respondemus defectum hic non sumi specialiter in oppositione ad excessum: Sed generaliter quatenus excessum includit; capitur ergo in adaequata oppositione ad rectum, & hinc ab errans natura seu deficiendo seu abundando fiat, recte deficere dicitur generaliter. Quid quod ista abundantia una conjuncta sit cum negatione seu privatione perfectionis positivae, nempe glabritiei, cur ergo non ab ea defecisse dicitur?

§. 20. Esavum fuisse verè & propriè dictum monstrum probamus ex requisitorum propriorum monstri adaequata accommodatione, tali Argumento.

Cui competunt omnia requisita propria veri ac propriè dicti monstri, illud est monstrum.

At qui Esava conveniunt omnia requisita propria veri ac propriè dicti monstri. E.

Esavus fuit verum monstrum.

Major nititur iterum Canoni Logico: de quo verificatur proprium de eo Subjectum praedicatur. Minor constat ex inductione singulorum, adest enim (1) causae naturalitas; Rebecca enim fuit causa naturalis, quandoque naturae consuetudine eum genuit, nec malleo aut securi velut alia artificialia fieri solent, eundem fabrefecit. (2) Naturalitatis defectus, non enim assecuta est mater generans primam intentionem, qua procul dubio sibi similem, qua colorem etiam ac glabritiè infantem intendit. (3) defectus deformitas; deformem enim fuisse patet, quia totus hispidus erat, ac si jam vir adultus 30. annorum aut am-

plus esset (ut loquitur non nemo Philologorum haud in-
celebris) (4) deformitatis raritas, erat enim insolita figu-
ra, ita ut obstupescerent ferè praesentes, undè & singulare
nomen ei ob hanc deformitatem indiderunt.

§. 21. III. Eandem sententiam probamus à similitum
ratione, hoc processu :

*Si hodie in nostris regionibus infantes tali corporis ha-
bitu prodeuntes pro monstris habentur, sequitur &
Esavum tunc fuisse monstrum.*

At verum est prius E. & posterius.

Consequenter Majoris probatur, quia accidit saltem
monstro, hodie nasci vel olim natum esse item in Europa
vel Asia in lucem edi. Adeoque quod hodie natum est, id
olim rectum fuisse nequit; neque quod olim rectum fuit, id
nostris temporibus pro vitio haberi potest: neque quod in
Germania defectus naturæ, id in Canaan perfectio dici de-
bet. Assumptum experientia constat, ita Gaspar Schottus
l.c. lib. 5. c. 15. p. 693. &c: varia exempla pilosorum homi-
num, quos omnes eruditi pariter atque in eruditi pro mon-
stris habuerunt, recenset. Stat ergo conclusio. Alia Argu-
menta cum leviora sint praetermitto. Nunc videamus
quid in contrarium adferre possit.

§. 22. Objici autem pro contraria sententia potest (1)
quod Esau unà cum Jacobo singulare DEI donum fuerit,
ergo non probabile, eum monstrum fuisse: Sit tale Argu-
mentum.

Nullum monstrum est Donum DEI singulare

Esavus fuit donum DEI Singulare E.

Esavus non fuit monstrum.

Major probatur, quia monstrum potius poenæ loco
infligitur, adeoque malum, malum autem bonum esse ne-
quit, multò minus donum DEI singulare, sic legimus apud
Wierum l. 4. c. 18. de praestigiis dæmonum. Qvendam non
obscuri nominis Regi Hispaniarum apud Geldros militan-
tem,

tem, cum è familia nobili honestam duxisset conjugem, quam & durius tractabat, intelligeretq; tandem ipsam uterum ferre; indignanter veluti sinistrè conjugì precatum ac dixisse: Tu infernalem gestas Dæmonem, quem gladio confodiam. Non longè post filiolum genuit dimidia corporis inferioris parte benè formata, verùm superior pars lituris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis ore rotundo, nigro, tetro ut Satyrus; auribus longis, veluti canis venatorius; in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus tractata reddebantur sanguinea. Minor exinde patet, quia post multas preces Isaac eum à Deo exoravit.

§. 23. Respondemus ad majorem eam simpliciter non procedere, nisi limitetur Subjectum prius de monstro formaliter considerato, quo facto patet, committi fallaciam compositionis & Divisionis, major enim accipitur postmodum in sensu composito, atq; conclusio sequitur in sensu diviso. Causa hujus observationis hæc est quia in monstris duo occurrunt (1) materiale quod est Ens, adeoq; creatura DEI & bona (2) Formale, quod est ipsa absentia perfectionis naturalis, quæ cum sit privatio, adeoq; non Ens, mirum non est, quod è censu creaturarum donorumq; DEI excludamus. Ad probationem Majoris dicimus: (1) loqui eam saltem de Formali monstrorum, neq; etiam de omnibus monstris, sed valdè enormibus, quæ speciem humanam planè mutarunt, ac ob certa tantum peccata hominibus pœnæ loco immisa, ut ex exemplo patet (2) falso supponitur nullum malum pœnæ esse bonum cum detur etiam malum pœna medicinale, quod bonum esse, quis negaret? (3) dicimus DEum non semper pœnæ loco monstra fieri permittere, sed ob alias etiam causas nobis ignotas, forsitan ideò rufus ac hospidus prodiit, ut indicium futuræ ejus strenuitatis ac fortitudinis, compareret.

§. 24. Sed instet aliquis: Fuisse tamen donum
singulare ut in argumento dictum: Ergò omninò tam
de forme non potuit esse Respondeo: Negando
consequentiam, nam singulare donum non dicitur
ratione elegantiaë aut perfectionis, alioquin falsa foret
minor adducti argumenti neq; absolutè fuit donum sin-
gulare, cum quotidiè DEus talia dona sc. infantes, & piis
& impiis concedat: Sed singulare tantum dicitur, quia
Rebecca post multam sterilitatem ac indefesas mariti
preces, gemellos peperit.

§. 25. (2) Objici potest, Isaacum fuisse insignis pi-
etatis virum, ita ut DEO admodum dilectus esset, adeoq;
non probabile fuisse DEum Ter:opt. Max. monstruoso par-
tu optimum virum in luctum iniecisse, Sit Argumentum:

*Quicumq; fuit DEO admodum dilectus Patriarcha ei mon-
struolum partum obtigisse non est probabile.*

Atq; Isaac fuit talis, E.

Isaaco monstruolum partum obtigisse non est probabile.

Major probatur, quia probabilius videtur DEum
probis benefacere, quàm tam fœdo aspectu contristari
Minor ex tota Historia Isaaci patet. Respondemus (1) in
Genere, totum Argumentum videtur loqui de fœdo ac
horrendo aliquo monstro quælia passim occurrunt, utpote
quando vel capita vel pedes vel manus vel alia membra
desunt, aut etiam abundant; at nos tale monstrum sub
manibus habemus, quod quæ partes integrantes in primis
præcipuas satis perfectum, nisi quod glabritie ac debito co-
lore (quæ ad qualitatem spectant) fuit destitutum. (2) vi-
detur committi ingnoratio Elenchi cum non ea conclusio
inferatur, quæ inferri debebat, diversissima enim est quæ-
stio, an Esau fuerit monstrum? & an probabile fuerit Esa-
vum fuisse monstrum? prior I. nudè quærit, an res ita
schebeat: posterior verò quærit an probabilitas subsit
quæ res ita se habeat? Hæc distincta esse vel ipsa stupi-
ditas animadvertit. (3) negamus etiam, majorem, nec
ratio

ratio adducta pro ea stabilienda sufficiens est, cum DEus sæpè, quos dilectissimos habet magna calamitate afficit, id quod evidenti exemplo declarat miraculum usq; pius patiensq; Hiobus.

§. 26. (3) Objectio est B. Sperlingii, quam in disputatione aliqua, cujus aliquando mihi facta est copia exercitii causa format, est autem hæc: Esavus fuit prudens & fortis, ergò non fuit monstrum, si in argumentum redigatur medius terminus, talis prodibit Syllogismus:

Quicumq; fuit Vir prudens & fortis is non fuit monstrum.

Atqui Esavus fuit vir prudens & fortis E.

Esavus non fuit monstrum.

Major probari possit ex communi dictorio: Mores sequuntur temperamentum corporis, It:

Natura sequitur semina quicq; sua: it:

Rari quippe boni, quos sic natura notavit.

Minor ex gestis Esavi & prudentib; & fortissimis, quas Scriptura Sacra refert, facile constat. Respondeo ad Majorem distinguendo inter monstrositatem animi & corporis, si de priori loquitur major concedimus totum argumentum, nec contra nos est, si vero de posteriori valet, nego consequentiam, dictoria loco probationis adducta nihil certi concludunt, Exempla multa contrarium docent: Æsopus & Socrates erant deformosissimi, ast uterq; sapientiã prudentiãq; clarissimus: Contrà Absolon & Caligula omni corporis parte optimè dispositi ac compendium quasi omnium naturæ dotium extiterunt, at quis nescit, quantus uterq; in flagitiosissimis sceleribus fuerit?

§. 27. (4) Obstare videtur: quia Esavus generavit liberos. Argumentum est tale:

Quicquid sui simile producit, illud non est monstrum

Atqui Esavus sui simile produxit E.

Esavus non fuit monstrum.

Major videtur constare (1) ex hypothesi plerorumq; Physicorum, qui per negant ullum monstrum se propagari, (2) quia aliàs monstra non rara sed frequentia forent. (3) quia exempla Muli, Hinni, id comprobant: Minor ex Genesi cap: XXXVI. liquet. Respondem, ad majorẽ negando consequentias, cur enim homo monstrosus non eadem ratione deficere in agendo posset, quæ ratione defecit sui ipsius causa, quæ erat homo non monstrosus. Ad Majoris probationes facilis est responsio ad primam enim dicimus hypothesin illam absolutè intellectam esse falsam, & reclamare tum Scripturæ, tum experientiæ testimoniũ, illud patet ex Num: XIII. 34. ubi fit mentio integræ styrpis Gigantæ nempè filiorum Enac, sic Deut: III. 11. dicitur Regem Oggin Bajan restitisse de stirpe Gigantum sic lib. 2. Reg. c. XXI. varij adducun-

cur

tur Gigantes; qui omnes à Gigantibus progeniti ibidem perhibentur, alia lo-
 ca prætereo. Hoc ita clarum est, ut clarius esse nequeat annon ubiq; locorum
 monstri homines conjugia ineunt, liberosq; per sæpè monstrosos
 generant? Ad secundam reponimus negando consequentiam. Etiam si enim
 una vel altera stirps monstrositatem aliquamdiu propaget, id tamen res-
 pectu aliorum infinitorum sine monstrositate propagatorum adhuc rarum
 est. Ad Tertium dico (1) à particulare ad universale nullam valere conse-
 quentiam (2) adhuc dubitatur, an nulli muli & quidem nullo tempore sibi
 simile propaget? In Syria enim super Phœnicem mulos & mulas coire ac
 parere omnes, & Aristoteles testatur l. 6. de Historia Animal. c. 24. Sic Theo-
 phrastus, mulam in Cappadocia parere scribit, quod si quis dicat istos mulos,
 similes quidem, sed tamen diversum genus ab iis esse; de quibus nunc quæri-
 tur; quod ipsemet Aristoteles & Theophrastus l. c. fateri videntur? ei repono
 alia Aristotelis verba eodem in loco: ubi expressis verbis concedit mulam ex
 eqvo & asina productam factam esse gravidam. Idem lib. 2. de Generat. A-
 nimal. fatetur, marem septennem generare, foemiam tamen improlem esse,
 quia perducere ad finem, quod conceperit, non possit. Quicquid tandem sit
 de mula, est illa monstrum à speciei diversæ animantibus productum; at Esau
 nequaquam ambigvæ speciei fuit, inter quæ monstra magna profecto diver-
 sitas, dissimile ergo exemplum, nec quadrat huc II. Respondeo ad minorem
 falsum esse quod ex dicto Geneseos capite ostendi possit Esavum filios simi-
 lier rufos ac instar togæ villosæ generasse, minor nullo pollet robore. Si di-
 cas loqui de similitudine essentiæ; Respondeo ab ludi à scopo, quæritur e-
 nim jam de similitudine ratione monstrositatis.

§. 28. Contra nos esse videtur denominatio Esavi. Dicitur enim Esau,
 quasi perfectus ac ornatus: Argumentum foret tale:

*Cui impositum est nomen perfectionem ac ornatum significans, ille non est
 monstrum.*

Atqui Esavo tale nomen est impositum E.

Esavus non fuit monstrum.

Major probatur Canone Logico: Cui convenit Etymologia nominis,
 ei etiam convenit res per nomen donata. Minor probatur, quia Esavo im-
 positum fuit nomen $\Psi\psi$ quo descendit ab $\Psi\psi$ quasi $\Psi\psi$ ie, jam fa-
 ctus, perfectus, adultus, conferatur Cornelius à Lapide, Mercerus & Rivetus.
 Respondem, (1) in genere: argumentum illud est topicum, & quidem ex lo-
 co nominali, unde argumenta debilissima depromuntur. (2) distingvo inter
 denominationem propriam & improprium & in specie hyperbolicam, de
 priori concedimus majorem & negamus minorem, quia posteriorem, majo-
 rem negamus, nulla enim consequentia, Esavus per hyperbolem dictus fuit
 perfectus, ornatus, Ergo talis fuit. Sed finem imponere cogimur, itaq; quæ-
 si super objici possunt, nunc relinquimus & discursui reservabimus.

T A N T U M.

lo-
rum
ofos
nim
spe-
rum
nfe-
sibi
e ac
neo-
ulos,
ari-
ono
n ex
. A-
esse,
n sit
Esau
ver-
rem
imi-
i di-
ur e-
Esau,
n est

inis,
im-
n fa-
etus.
xlo-
nter
n, de
aajo-
fuit
qvæ


05 A 1398

ULB Halle 3
003 778 045


W 17







DISPUTATIO ¹⁷²⁵PHYSICA,
De
QVÆSTIONE
An
ESAU FUERIT
MONSTRUM,
Quam
In Illustri Saxonum Universitate
SUB UMBONE
VIRI
Præ-Clarissimi, Præ-Eximii atq; Doctissimi,
DN. M. NICOLAI BENEDICTI
PASCHÆ,
Zittâ-Lusat:
RESPONSURUS AUTOR
MARTINUS POHLIUS,
Budissâ-Lusat:
Publico recte Philosophantium Examini
sistit
In Auditorio Veteri,
Ad diem Octobr.
Horis antemerid.
WITTEBERGÆ,
Literis MICHAELIS MEYERI, Anno 1669.